



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Capvt X. Oratio de patientia in tribulatione & angustia cordis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](#)

3. Da ad aliquid temporale vitiosè non affici: nec ab hominibus velle agnoscì, nec curari, nec stultè amari: quia omnes seducunt & seducuntur, qui aliquid extra te inordinatè cupiunt vel diligunt. Nullum ad me hominem, per blandimenta aut obsequia, fac me trahere: sed omnes à me sapienter remouere, ad te verò salubriter dirigere; nihilque in homine aut aliqua creatura respicere & amare, nisi quod tuum est, & propter quod facti sunt.

CAPVT X.

Oratio de patientia in tribulatione & angustia cordis.

Domine Deus dilecte, sancte Pater meus, non sum dignus à te consolari & visitari, sed dutis verberibus, castigati & flagellari. Ego merui grauitates multas & varias tribulationes habere, quia valde peccavi, & innumeris beneficijs tuis ingratius exiui. Ego non sum dignus, sicut cæteri boni fideles & devoti fratres mei, diuinis consolationibus recreari, & inter celestes coniuias computari. Sed obsecro te Pater sancte, dulcis ac pie Domine, fac me unum ex minimis vernaculis tuis, ut sim saltem nouissimus pedissequus eorum, quorum vestigia non sum dignus osculari. Habeant ipsi consolationes multas & magnas, quos speciali amore diligis & honoras: mihi minimo & infelici magnum & accepabile sit, quod me affligendo doloribus & contrarietatibus diversis mihi non parcis.

2. Da patientiam pie Domine, & sit mihi omnis tribulatio & angustia, supra omnem consolationem desiderabilis & beneuenta. Et hoc singulariter pro honore tuo patiat & gratum habeam, non pro meo lucro ampliando, vel pro mercede potiori speranda. Meum lucrum maius non sit, quam libenter pro honore tuo pati, & usque ad imum desiderare vilipendi, & nullari; atque cunctorum hominum vestigijs veraciter subiungi & humiliiter substerni. Ita sculpe cordi meo, veritas summa, Deus meus, lux sempererna: ut mihi ipsi vilescam meque despiciam, & tamquam exulem, peregrinum & pauperem ignotum, sicut solitarium neglectum, ab omni creatura relatum, ac omni consolatione humana indignum, in hoc mundo me teneam; & præterquam in te spem & solitatem nullibi queram. Sed me tanquam mortuum super terram & mundo sepultum existimemscuius memoria iam diu præteriit, nec est inuenire aliud vestigium, nisi vile, latens sub terra, sepulchrum. Da mihi æterna Sapientia Patris, hæc intenta mente saepius percogitare, & considerare novissima mea semper: & ad futurum iudicium me præparare, faciemque tuam præuenire precibus & lamentis.

CA-